



RMr.

II.

22.





R. M. Jr.

R.Mr. *H*
22.

II. 22.



CARMEN FV=

NEBRE, AD TVMVLVM

E. D. PERITIA REI MILITA-

ris, prudentia, vitæq; integritate insignis,

Ladislai Kemény de Omboz: Qui

diem suum obiit, Anno Domini.

1593. die vero Mensis

Maij 23. recitatum

à Stephano Illiefaluino.



Claudiopoli Typis Helthanis.

R.Mr. II
22.



CARMEN FV=

NEBRE, AD TVMVLVM

E. D. PERITIA REI MILITA-

ris, prudentia, vitæq; integritate insignis,

Ladislai Kemény de Omboz: Qui
diem suum obijt, Anno Domini.

1593. die vero Mensis
Maij 23. recitatum

à Stephano Illiefaluino.



Claudiopoli Typis Helthanis.



M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA



ORATIVNCVLA FVNEBRIS, IN
obitum E. D. Ladislai Kemény de Omboz, habita
A. D. 1593. die 23. Maij
à Stephano Illyefaluino.



Vot quot ad hoc aliquo properastis amore sepul-
Vt Ladislai tumuletis membra Kemény, (chrum,
Ora tenete viri, atq; aduertite vocibus aures,
Iusta cano : iucunda pijs, ingrata scelestis.

Tu pater, æthereus cui paret Olympus, & unda,
Terraq; qui vitam inspiras mortalibus, & das
Lumen, & humanas confirmas robore mentes,
Exaudi; summaq; meis illabere ab arce
Sensibus : ac præsta faciles in carmina vires.
Nam tua, non hominum, hoc captatur gratia versu.

Vnde Kemeniadum genus, aut quo tempore coepit,
Per quas virtutes; quibus hæc fastigia gestis
Attigit, & series quantum se extendat auorum,
Omnia difficile est comprehendere tempore paruo.
Hoc sat erit, clara quod natus origine, totam
Sic egit vitam, sic ocia fugit, amauit
Virtutes; ut si media de plebe fuisset,
Ipse sibi decus, ac laudem, famamq; parasset.
Nobilitas demum vera est, cum conscia virtus
It comes, atq; noui priscis cumulantur honores.
Sic aurum per se pulchrum, si lucida gemma
Distinguat, precio multò maiore probatur.

Pars generosorum nunc maxima, nescia veri,
Nescia virtutum, sola se laude parentum
AEstimat : ac titulos ostentat inutilis amplos
Vrsos, aut aquilas, sæuiq; horrenda leonis
Ora, pedesq; licet nunquam laudanda patrarit.
Sic iuuat hos sine re decus, & sine nomine nomen,
Aurata ut stultos gladio vagina remoto.
Crimina quin etiam vita patrantur in omni
Sæpe, caditq; decus generis : sed stemma rependit,
Natorum vitijs quicquid decedit honori.
Pulchra nec obscænos decorant insignia natos,
Rostro conueniens sic non est gemma suillo.

Non ita Tydides sæuus, non Troilus acer,
Non Theseus, alijq; quibus victoria nomen
Fecit; at exuias, quem quisq; peremerat, urfi
Gestarunt, titulosq; sua virtute paratos.
Nobilis est verè cui recta geruntur, habendus.

Principio cœli Dominum, terræq; parentem
Omnia complentem, nullaq; in parte vacantem,
Flagicijs hostem, defensoremq; bonorum.
Nouerat hunc unum Christo Doctore; colebat
Hunc Ladislaus solum, semperq; colendum
Sumserat, æternum figens in pectore numen.
Non metus hunc, nec amor mundi, nec gratia fallax
A vera abripuit veri pietate parentis.
At modo relligio velut esset inutile nomen,
Commentumq; Deus, fallax vel opinio vulgi,

Negli-

Negligitur, multi procerum Capanea sequuntur,
Sæua Gigantæo exercentes bella furore,
Esse negantq; Deum : multis præcordia, tanquam
Nix hiberna, rigent : nulloq; calefcitis igne.
Sunt quoq; qui quæstum faciunt pietate : probantq;,
Vtile quod credunt : dicunt, quod dicis, & ipsi,
Ora quibus iam clausa silent : laudantq; tacendo
Errores, turpemq; premunt sine luce cathedram.
Si iubeas, preciumue feras, vel sæua mineris,
Multi Plutonem, vilemq; Charonta parati
Numine pro vero cognoscere, amare, precari.

At veniet tempus, quando ceu puluis ab Austro
Qui rapitur : ferrumq; grauis quod malleus icu
Urget, ab irato scelerati numine pœnas
Accipient : non semper erunt mihi crede maligni.

At Ladislaus, quia se mortalibus esse
Non sibi credebat natum, legesq; sciebat
Numinis æthereas hominum mandantis amorem,
Vtilis, vt potuit, fuit omnibus : æquus amicis
Cognatis fidus, non ipsis asper egenis.
Aspice Nobilitas quid nunc agit : omnibus unum est
Hoc studium, nulli prodesse, nocere rapinis.
Alter in alterius properant incommoda : damnis,
Cæde, minis, odijs, alios sine fine fatigant.
Ac velut in sylua lupus acer : in aere velox
Accipiter, piscisq; assuetus in amne rapinis
Maiores semper subigunt, tribulantq; minores.

A 3

Iura

Iura silent : gladijs ac viribus omnia turbant.

Ocia nec primam traxit per inertia vitam
Ladislaus, eratq; bonus Iuuenilibus annis
Miles, & Illyricis peregrina secutus in oris
Signa, dedit specimen septem virtutis ad annos,
Inde domum repetens, magno cum laudis honore,
Præstitit obsequium patriæ Ianoq; Secundo,
Aere merens eius, donec mortalia princeps
Optimus exutus, regnum cœleste petiuit.
Bella modo plerisq; domi vitiosa geruntur,
Exercentq; manum præda : vel lite vel armis
Lucra parant : iugulumq; petit discordia regni.
Prima per illecebras luxu corrumpitur ætas :
Expertes animis Iuuenes : grauitate senectus.
Certatur vino, calicum victoria nostris
Sola placet : solumq; modò potare decorum est.

Sacra licet legeret benè Ladislaus & ipse,
Militiæ Musas iungens, Martemq; Mineræ,
Non tamen aure bonos fuit auersante docentes,
Causidicos alij versant cum mente libellos,
Biblia nec tangunt : nec dant monitoribus aures.
Dum nos ære sonum damus : ac ad templa vocamus,
Interea canibus lepores, laqueoq; volucres
Captatis, celeriq; iuvat discedere curru.
Parstemulenta iacet, capitis causata dolorem,
Hesternumq; merum : modicq; incommoda morbi
Obijcit : & causas quærunt, ne sacra frequentent.

Vatibus

Vatibus ille pijs iustum præstabat honorem,
Nutritorq; fuit, qui sacra tuentur, eorum.
Nulla Ministrorum modo gratia : nulla Docentum
Præsidia : expoliant potius, quàm præmia præstent.
Ludibrium vobis sumus, & iocus : absq; Ministris
Nec prandere leues, nec vos cœnare potestis.
Nemo sed opprobrium tulit hoc impune : luetis
Supplicium, quicumq; Dei spreuistis amicos.

Hoc illi celsit non sat feliciter unum
Quod sine prole domum, sine posteritate reliquit.
Sed quis in hac scelerum vel se contagine longum
Viueret, vel dulces cuperet producere natos?
Omnia sunt corrupta : nihil laudabile quisquam
Incipit : obscæne mentes, & sermo bilinguis :
Fraudibus ora patent, vt aperta sepulchra, prophanis
Sacra, mari flammæ, permiscerunt sidera terræ,
Præcipites non iura hominum, non iura Tonantis
Iam seruant : viuunt omni sine lege, nocentq;.
Non semper sine prole mori vindicta putanda est.

Quos habuit, iusto rexit moderamine seruos,
Subiectumq; sibi populum, non more Tyranni
Exactor Pharij, sed mitis amore Patroni.
Testes sunt Domini qui lugent fata Clientes.
Is moritur benè, qui laudem post fata meretur.

At nunc mundus iners : at pondus inutile terræ,
Pernicies hominum generis, luxuq; solutus,
Quod malè consumit, peiusq; acquirere certans :

A 4

Intole-

Intoleranda rudi peperere grauamina plebi.
Nunc iusto longe maiora tributa rogantur,
Nunc labor absq; modo innumerus, curæq; iubentur.
Ver, Aestas, Autumnus, Hiems, sunt cuncta potentum.
Vix miseris dormire licet: solumq; relictum
Est illis cœlum, nihil est, quod restet ab illo.
Quis furor iste viri? Deus est pater omnibus unus:
Est genitrix eadem tellus: par omnibus ortus.
Exitus est idem: solo distatis honesto.
Quid cognata iuuat sub viscera condere fratres?
An ne opus hoc vestrum est? an vos humana creastis
Corpora? quid tantum iuris sumfistis in illos?
Si Deus hæc vobis concessit iura: Dijq;
Estis: & in terra, nomenq; vicemq; refertis
Numinis: & leges eius, moresq; referte
Tutantes miseros, firmantes robore lassos,
Auxilijs inopes: proprium est prodesse Deorum.

Croesus opes, Crassusq; suas, concedat arenas
Hermus, & ipse suas, non plus aufertis earum,
Quàm pauper, qui nudus abit: cur ergo rapinis
Vtimur? & damnis aliorum crescimus? illis
Radimus, in nostros malè quæ conuertimus usus?
An spacium vestri speratis longius æui?
Quàm citò bulla cauæ pluuiæ detumet undæ:
Quàm citò vernali rosa deflorescit in horto:
Quàm citò præcipiti iactantur nubila vento:
Ac vapor, & tenuis vanescit in aera fumus:

Tam

Tam breuis & nobis non longa est meta dierum:
Non diuturna voces, aliquod quæ terminat æuum:
Quid tumor iste animorum igitur? quid fastus? & altus
Spiritus? atq; supercilium tam grande? mineq;
Infames oculorum, ac verba? remittite cristas
Iam tandem: positaq; mori consuefcite culpa.

Fama canit Pharios, quoties conuiuia adibant,
Pallida de ligno solitos simulachra tenere,
Ac mensis adhibere suis, sic ore locutos:
Sume merum parcè, talis post fata futurus,
Qualis inest ligno turpis sine sanguine pallor.
Quid nobis opus est simulacro? lurida cernis
Ora manusq; viri: te nunc monet ille, rogatq;
Hortaturq; mori, talem post fata futurum.
Qualiter ipse iacet: voces audite monentis,
Si mihi nunc adsunt, aderunt cras ultima vobis.

Sed veluti præfente puer plerunq; Magistro
Horret, & ora, pedesq; suos componit: & aures
Arrigit, obsequium iam iamq; paratus obire:
At mox amoto petulans terrore, priores
Aggreditur mores: solitoq; effunditur ore.
Frigida charorum sic nos cum membra virorum
Cernimus, ingemimus lacrymis, laudamus amanda,
Damnamus vitia: & vitam spondemus honestam.
Ast ubi paulò post discessimus: imbribus ora
Siccantur: subeunt animos obliuia recti.
Damnatiq; prius redeunt in pectora mores.

Omnia

Omnia tempus habent: vites plantare, mederi
AEgrotis, vestes assumere, fræna tenere,
Vomeretellurem proscindere: tollere falcem,
Quid quæcunq; dies optet, bene scimus: id unum
Ignorare iuuat, prauis quo tempore mores
Mutentur, meliorq; animos sententia vertat.

Quod potuit vixit benè Ladislaus, honoris
Integer, & vitæ purus, plenusq; dierum
Ad iustam prope iam uergens ætate senectam.
Nunc extrema dies animam illius addidit astris,
Membra tegentur humo: vos illi optate quietem,
Cœlesti Iudex se donec ab arcetremendus
Ostendat, cineresq; tubis animentur operti.
Distinguet iustos censura, dat ultima prauis
Præmia, tormentum nulla narrabile voce.
Optatamq; diu iustis, nulloq; Coronam
Marcescentem æuo: meritæq; insignia vitæ.

Heu nimium serò flentur tunc crimina, cum mors
Incubat atra, modo cuiq; est accepta salutis
Hora: modo sceleris factorum quenq; priorum
Poeniteat: ruat ebrietas: deferueat ira:
Illecebræq;, cadat furor insatiabilis auri.
Et fastus, animi: subeant in pectora vobis
Quod cinis, & puluis, quod bulla, quod umbra, vaporq;
Hesterniq; sumus: quod mercenaria nobis
Vita, data est iterum repetenda, simillima palmæ,
Et breuis, ut florum nitor: & non longa voluptas

Ac


Ac veluti nauis properat, qua poma vehuntur,
Ne putrescat onus: sic nos ne crimina mentes
Corrumpant vitæ properemus ad ultima, culpas
Exosi, quas qui cupiunt differre, quid ultra
Iam restat, nisi mors sine morte, dolorq; perennis?
Discite quod iustum est homines, nec spernite numen.



EPITAPHIUM.

HIC Ladislai tumulantur membra Kemény
Barbara vbi soboles ante sepulta fuit.
Septimus ad decies cui quantum accesserat annos
Cum mens è putri cesset ad astra solo.
Consilio prudens in pace: vir acer in armis,
Iustitia, & veri plenus amore Dei.
Cui genus, & virtus nomen cum laude reliquit.
Optima mors, famæ si qua nocere nequit.





Omnia tempus habent: vites plantare, mederi
AEgrotis, vestes assumere, fræna tenere,
Vomere tellurem proscindere: tollere falcem,
Quid quæcunq; dies optet, bene scimus: id unum
Ignorare iuuat, prauis quo tempore mores
Mutentur, meliorq; animos sententia vertat.

Quod potuit vixit benè Ladislaus, honoris
Integer, & vitæ purus, plenusq; dierum
Ad iustam prope iam uergens ætate senectam.
Nunc extrema dies animam illius addidit astris,
Membra tegentur humo: vos illi optate quietem,
Cœlesti Iudex se donec ab arcetremendus
Ostendat, cineresq; tubis animentur operti.
Distinguet iustos censura, dat ultima prauis
Præmia, tormentum nulla narrabile voce.
Optatamq; diu iustis, nulloq; Coronam
Marcescentem æuo: meritæq; insignia vitæ.

Heu nimium serò flentur tunc crimina, cum mors
Incubat atra, modo cuiq; est accepta salutis
Hora: modo sceleris factorum quenq; priorum
Pœniteat: ruat ebrietas: deferueat ira:
Illecebræq;, cadat furor insatiabilis auri.
Et fastus, animi: subeant in pectora vobis
Quod cinis, & puluis, quod bulla, quod umbra, vaporq;
Hesterniq; sumus: quod mercenaria nobis
Vita, data est iterum repetenda, simillima palmæ,
Et breuis, ut florum nitor: & non longa voluptas

Ac

Ac veluti nauis properat, qua poma vehuntur,
Ne putrescat onus: sic nos ne crimina mentes
Corrumpant vitæ properemus ad ultima, culpas
Exosi, quas qui cupiunt differre, quid ultra
Iam restat, nisi mors sine morte, dolorq; perennis?
Discite quod iustum est homines, nec spernite numen.



EPITAPHIUM.

HIC Ladislai tumulantur membra Kemény
Barbara vbi soboles ante sepulta fuit.
Septimus ad decies cui quantum accesserat annos
Cum mens è putri cesset ad astra solo.
Consilio prudens in pace: vir acer in armis,
Iustitia, & veri plenus amore Dei.
Cui genus, & virtus nomen cum laude reliquit.
Optima mors, famæ si qua nocere nequit.



Ac...
Le...
G...
D...



EPITAPHIUM

Epitaphium...
Epitaphium...
Epitaphium...
Epitaphium...
Epitaphium...
Epitaphium...
Epitaphium...



1754

